

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Caput II. De materia, forma, & Ministro Confirmationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

De Sacramento Confirm. Cap. I. 113  
sanctus , solis Apostolis & eorum Vicariis  
servabatur.

## C A P U T I I .

### De Materia , forma & Ministro Confirmationis.

Quest. I. Q UÆNAM est materia Sacra-  
menti Confirmationis ?

Resp. In hoc Sacramento sicut & in aliis,  
duplex distinguitur materia ; proxima , & re-  
mota : *Materia remota hujus Sacramenti*, s. Carol. Act  
ut ait Divus Carolus , est *Chrisma* , quod ex p. 4. De Sa-  
oleo & balsamo , solemnē Episcopi consecratio- cram. Confir.  
ne conficitur.

Ratione affert Divus Thomas cùm dicit :

*Chrisma est conveniens materia hujus Sacra- D. Th. 3. p.  
menti. Sicut enim dictum est , in hoc Sacra- q. 72. art. 2.  
mento datur plenitudo Spiritus-sancti ad ro- in corp.  
bur spirituale , quod competit perfecta etati ;  
homo autem cùm ad perfectam etatem per-  
venerit , incipit jam communicare actiones  
suas ad alios ; antea verò quasi singulariter  
sibi ipsi vivit : gratia verò spiritus sancti in  
oleo designatur , unde Christus dicitur esse  
unctus oleo latitia propter plenitudinem Spi-  
ritus-sancti quam habuit ; & ideo oleum com-  
petit materia hujus Sacramenti. Admisceretur  
autem balsamum propter fragrantiam odoris  
qua redundat ad alios. Vnde Apostolus dicit  
2. ad Corinth. cap. 2. Christi bonus odor su-  
mus Deo , &c. Et licet multa alia sint odori-  
fera , tamen præcipue accipitur balsamum ,  
propter hoc quod habet præcipuum odorem , &  
quia etiam incorruptionem prestat. Vnde Ec-*

## 114 TRACTATUS III.

*c*i*. 24. dicitur. Quasi balatum non mixtum  
odor meus.*

Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio quam facit Episcopus cum Chrismate in modum Crucis super frontem Confirmandi, & impositio manuum.

*Quest. 2. Quænam est forma Sacramenti Confirmationis?*

Pontificale  
Rom.

*Resp. Forma hujus Sacramenti consistit in verbis quæ profert Episcopus, cùm applicat unctionem Chrismatis nempe, Signo te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.*

Advertendum tamen est, nos hīc loqui de materia & forma Confirmationis juxta communiter receptam Theologorum & Canonistarum sententiam; non tamen improbamus sententiam aliquorum Theologorum, qui assertunt, materiam & formam à nobis allatas esse tantum accidentales, non vero essentiales huic Sacramento, cuius materia & forma essentiales apud ipsos, sunt impositio manuum Episcopi & oratio quæ additur huic manuum impositioni.

*Quæ Doctrina videtur esse conformis Scripturæ sacræ & traditioni. Dicitur enim Act. 8. Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum-sanctum: tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum-sanctum.*

Tertullianus libro de Baptismo cap. 8. ait. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum-sanctum. S. Cyprianus Epist. 73. Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Prepositis Ecclesia offerantur & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum-sanctum consequantur. S. Hieron. Dial. ad-

*De Sacramento Confirm. Cap. II. 115*  
versus Lucifer. S. Chrysoft. in cap. 8 Act. &  
in cap. 6. ad Hebr. S August. 15. lib. de  
Trinitate cap. 26. *Apostoli orabant, ut ve-*  
*niret Spiruus-sanctus in eos quibus manum*  
*imponebant, quem movem in suis Pr&oppositis*  
*etiam nunc Ecclesia servat. Idem habet in*  
*expositione Epist. ad Rom. lib. 3. de Baptismo*  
*cap. 16. Et Tract. 6. in Joann.*

Concilium Moguntinum anno 1549. cap.  
17. Ea verò, inquit, uterant à Christo pro-  
missa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhi-  
bita, & ab eisdem per manus impositionem in  
alios transfundi coepit, actus ipsorum satis  
testantur; undè Ecclesia Catholica Spiritum-  
sanctum per manus Episcoporum Fidelibus  
tradendi normam accepit.

Concilium Narbonense anno 1609. Sancto-  
rum Constitutionibus, inquit, constat nos in  
Baptismo regenerari ad vitam, & post Baptis-  
mum in hoc sacramento (*Confirmationis*)  
quo per impositionem manuum Episcopi Spi-  
ritus sanctus diffunditur in corda Fidelium, ro-  
bur atque fortitudinem dari.

*Quæst.* 3. Benedictio Chrismatis facta ab  
Episcopo, est-ne necessaria ad validitatem  
Sacramenti Confirmationis? an requiritur  
tantum ad solemnitatem, uti est benedictio  
aquaæ in Sacramento Baptismi?

*Resp.* Benedictio Chrismatis ab Episcopo est  
necessaria ad validitatem hujus Sacramenti,  
quod quidem probatur auctoritate Innocentii  
III. relati in Canone: *Presbyteris, inquit, Can. Presby-*  
*Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod teris. De Con-*  
*ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen febr. dist. 44*  
*frontem ex eodem oleo signare, quod solis de-*  
*betur Episcopis, cum tradunt spiritum Para-*  
*cletum.*

Cujus rationem affert Divus Thomas, cùm

## 116 TRACTATUS III.

D. Tho. 3. p. ait: Dicendum quod tota Sacramentorum san-  
q. 71. art. 3. clificatio à Christo derivatur. Est autem con-  
siderandum quod quibusdam Sacramentis ha-  
bentibus materiam corpoream Christus est  
usus: scilicet Baptismo & etiam Eucharistia;  
& ideo ex ipso usu Christi materia horum  
Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad  
perfectionem Sacramenti. Vnde Chrysostomus  
dicit, quod nunquam aqua Baptismi purgare  
peccata credentium possent, nisi tactu Domini-  
ni corporis sanctificata fuissent. Et similiter  
ipse Dominus accipiens panem, benedixit:  
similiter autem & Calicem ut habetur Matth.  
26. & Luce 22. Et propter hoc non est de ne-  
cessitate horum Sacramentorum, quod mate-  
ria prius benedicatur, quia sufficit benedictio  
Christi; si qua verò benedictio adhibeatur,  
pertinet ad solemnitatem Sacramenti, non  
autem ad necessitatem. Unctionibus autem  
visibilibus Christus non est usus, ne fieret in-  
juria invisibili unctioni, qua est unctus pra-  
consortibus suis, Psal. 44. & ideo tam Chris-  
ma, quam oleum Sanctum infirmorum prius  
benedicuntur, quam adhibeantur ad usum  
Sacramenti.

Quast. 4. Quisnam est minister Sacramenti  
Confirmationis?

Resp. Solus Episcopus, ut habetur in Ca-  
san. Manūs. none: Manūs quoque impositionis Sacra-  
mento Consecr. tum magna veneratione tenendum est, quod  
ab aliis perfici non potest nisi à summis Sa-  
cerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis  
quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur per-  
actum esse, nec ab aliis quam illis qui eorum  
tenent locum, unquam perfici potest, aut  
fieri debet. Nam si aliter prasumptum fuerit,  
irritum habeatur & vacuum, & inter Eccle-  
siastica nunquam reputabitur Sacramenta.

*De Sacramento Confirm. Cap. II. 117*

Reverà, ut dicitur Aetuum Apostolorum cap. 8. Cum audissent Apostoli qui erant feros polymis, quod receperisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent; oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum-sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-sanctum. Episcopi autem sunt successores Apostolorum, non autem Sacerdotes.

*Quæst. 5. Quare hoc Sacramentum à solis Episcopis conferri potest?*

*Resp.* Ratio Divi Thomæ sumitur ex hujus Sacramenti dignitate. Dicendum, ait, quod D. Th. 3. p. in quolibet opere ultima consummatio suprema q. 72. art. 11. arti, aut virtuti reservatur; hoc autem Confirmationis Sacramentum est quasi ultima consummatio Sacramenti Baptismi: ita scilicet quod per Baptismum edificatur homo in dominum spiritualem; & conscribitur quasi quædam Spiritualis Epistola. Sed per Sacramentum Confirmationis quasi domus edificata in templum Spiritus-sancti, & quasi Epistola conscripta signatur signo Crucis; & ideo collatio hujus Sacramenti Episcopis reservatur qui obtinent summam potestatem in Ecclesia: Sicut & in primitiva Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus-sancti dabatur, ut habetur. Act. 8. Vnde Urbanus Papa dicit. Can. Omnes. De Consecr. dist. 5. Omnes Fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum-sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inventiantur.

*Quæst. 6. Potest-ne aliquando licere Presbyteris administrare Sacramentum Confirmationis?*

*Resp.* Id speciali commissione summi Pon-

## 118 TRACTATUS III.

tificis fieri posse videatur, ut patet ex Divo Gregorio, qui scribens ad Januarium Episcopum ait: *Pervenit ad nos, quosdū in scandilizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostra Ecclesie fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.*

D. Th. q. 72. art. 11. ad 1. *Hoc autem, ut ait Divus Thomas: Ex plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.*

Refertur etiam in Decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino. *Per Apostolicā sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc Sacramentum Confirmationis aliquando administrasse.*

## CAPUT III.

De Dispositionibus ad Confirmationem  
& de ejus effectibus.

Quæst. 1. **Q**uid agendum est à Parochis, cùm mandatum acceperunt ab Episcopo præparandi sibi iubitos, ad Confirmationem suscipiendam?

S. Carolus  
Act. p. 1. tit.  
Quæ perti-  
nent ad Sa-  
cram. Con-  
firm,

Resp. Ex sancto Carolo: *Parochi, anima-  
rumque Curatores populum doceant, quanto reli-  
gionis studio suscipiendum sit Confirmationis  
Sacramentum cuius ministrandi solus Episco-  
pus ordinariam potestatem habet. Videant  
item, ne quis eorum qui sibi in curam traditi  
sunt, illud suscipere negligat. Quare præ-*